est & vegetum. Quod si autem contingit, ut v.g. æthereæ, oleosæ, salinæ & Spirituosæ subjugentur, dominium nanciscentibus terrestribus, viscidis, fixioribus, acidis, obstructiones Viscerum, & varii morbi chronici generantur; & vice versa, si acres volatiles, salinæ, ex velamine & carcere ramosarum ac serosarum emancipatæ existunt, morbi acuti & varia systematis nervosi Pathemata suboriuntur. Qvæ ultima periodi verba utut propriè non pertineant ad nos, legi tamen merentur. Alterum Clar. Majoris, sempiternæ memoriæ Viri assertum est, de Viscido, ratione Spirituum offendiculo, eundem, quem prius, scopum feriens, in *Dissertat. de Ærumnis Gigantum in negotio Sanitatis cap.* I. §. 19. *Sunt* dicit, *Spiritus vel Gigantes, nil aliud, qvam fluores ad motum proclives qvam maximè, qui potenter indies ab Athmosphæræ luminibus, & interno calore partium incitati, ad sui deflagrationem tendunt perpetim; sed impedimenta aut diverticula morosa multiplicia undiqua̗ invententes in nobis, dura, mollia, lenta, sequacia, Terreæ, aqveæ, oleosæ, gummosæ, aut similia alia, in nativo suo ad solem obsequio turbantur continuo, ut impingant hinc inde, & ultro citroq̗ instar radiorum aut Pilæ lusoriæ in angulos diversa divaricationis acti identidem, novis semper atq̗ novis irritamentis destinentur, perpetuos agant elabendi cuniculos, & ad Ærumnas tot devoluti, Hylen nostram supra qvam dici potest, mirè exagitent.* Huc usque Magnus nobis Major locutus est, unde facilis jam erit collectio, summas & maximas corporis turbationes â motu particularum subtilissimarum agibilium impedito, oriri; jam si ulterius qværas: qvid illud sit qvod motum hunc inhibeat? in promptu erit responsio: Viscidum! in hoc enim terrestres particulæ salinæ & aqvosæ prædominium habent; si jam in Terreas & duras, aqueas gummosas & lentas, salinas & rigidas Spiritus impingant, morosæ resistunt, vel etiam eosdem excipiunt, velaminibus ramosis ac serosis obvolvunt, ita ut jugiter subjecti ad solis obseqvium moveri nec antrorsum nec retrorsum qveant. Et hæc est Viscidi ἐνεργεία, utcunqve in sanguine humano secundum qvalitates explicata, qvæ tanqvam fons plurimis scatet malis, in Explanatione causarum postmodum detegendis.

§. 9.

Positis jam in qvovis mixto certis diversæ figuræ, magnitudinis, motus